INDICTIO

PRIMÆ MARIANOPOLITANÆ SYNODI.

IGNATIUS BOURGET,

Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Marianopolitanus, Pontificali Solio Assistens, etc., etc.

Universis Præsentes Litteras inspecturis, Salutem in Domino.

Inter pleraque alia Episcopalis sollicitudinis officia, prœcipuum sibi locum vindicat hæc olim annua veterum canonum jure, ac nuper Tridentini Concilii Decreto constituta Diœcesanæ Synodi convocatio atque actio utpote quæ ad disciplinæ ecclesiasticæ, si collapsa sit, instaurationem, si adhuc vigeat, conservationem et perfectionem, maxime conferre potest. Quocirca Nos, Sanctorum Antistitum vestigiis inhærere cupientes, variisque tanti momenti executionem officii usque adhuc prohibentibus hodie difficultatibus feliciter remotis, his Nostris Litteris, Nostræ Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, omnes et singulos qui in hac Diæcesi nostra beneficia seu officia ecclesiastica obtinent quibus animarum cura annexa sit, Superiores et Rectores Seminariorum, Religiosorum Ordinum, collegiorum, nec non Superiores Ecclesiastioos ac Capellanos Monialium seu Virginum Deo dicatarum monemus in Domino, iisdemque omnibus et singulis, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis canonum Sacrorum jure sancitis, jubemus atque edicimus, ut ipsi clericali habitu decenti ac superpelliceis mundis induti, die vigesima tertia Mensis

Augusti proxime sequentis, quem diem inchoandæ Diœcesanæ Synodi certum indicimus, summo mane, in Capellam Majoris Seminarii nostri conveniant: nisi forte legitima causa, quam Nobis probare debent, impediantur. Inde autem cum convenerint ne cuiquam ante ipsius Synodi finem discedere liceat, nisi missione à Nobis impetrata. Monemus præterea omnes et singulos ut memores ejus quod dixit Apostolus, de seipso aliisque Christi ministerio mancipatis loquens, ***Christi bonus odor sumus in omni loco***, tum in itinere quod hujus Synodi causa suscepturi sunt, tum in urbe nostra Episcopali, et quolibet alio loco, eam frugalitatem, modestiam, gravitatem in verbo et conversatione servent, quæ decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum ejus, ac denique in omnibus ordinem à Nobis præscriptum teneant, qui ab ipsius Synodi officiariis nostro nomine illis significabitur.

Ut vero Synodalis hæc actio, Dei ope et auxilio, felicius pro ejus gloria et animarum salute succedat, edicimus ut post indictionis hujus promulgationem, in omnibus urbis et Diœcesis nostræ Ecclesiis et Capellis seu publicis oratoriis, quinta cujusque hebdomadæ feria, quoad ipsa Synodus absoluta et dimissa sit, missa de Spiritu Sancto ab omnibus et singulis Sacerdotibus celebretur; aut saltem ipsius Sancti Spiritus in ea fiat specialis per orationem ad id propriam, ante Orationem ***contra persecutores Ecclesiæ*** jam præscriptam, commemoratio et invocatio. Ac præterea ut ab ipsis Parochis cæterisque supramemoratis moneantur et excitentur fideles eorum curæ commissi, quatenus piis precibus ad Deum fusis, ac etiam digne perceptis Pœnitentiæ ac Eucharistiæ Sacramentis hoc ab ejus misericordia impetrare studeant, ut ea quæ muneris nostri sunt in hac Synodali actione exequentes, largiorem divinarum gratiarum communicationem Nobis et iis omnibus quorum custodia Nobis demandata est, obtinere valeamus.

Datum apud Sanctum Timothæum, inter Pastoralis

Visitationis munera, anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo tertio die vero mensis Junii vigesima secunda, sub signo sigilloque nostris ac Secretarii Nostri subscriptione.

L. ✠ S. + Ig. Episcopus Marianopolitanus.

De mandato Illmi. ac Revmi.

D. D. Marianopolitani Episcopi.

J. O. PARÉ, *Can. Secretarius.*

Rev. H. Verreau

[redacted] Normalis Scola Jacques Cartier dicta Princ